3

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

ZONA SERPIGINOSA

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO ET CONSENSV ATQVE AVCTORITATE
AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI, EXPERIENTISSIMO, EX-
CELLENTISSIMO

DN. JOANNE JVNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQVE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO
H. T. FACVLTATIS DECANO SPECTATISSIMO
DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTO-
RE SVO PARENTIS INSTAR VENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

H. L. C.

ANNO MDCCXLV. D. MART.

PVBLICO AC PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

FRIDERICVS AVGVSTVS SCHWARTZ

MAGDEBVRGICVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis Ioannis Christiani Hilligeri, Acad. Typogr.

DEO,
FAVTORIBVS
AC
AMICIS.

PROLOGVS.

EA mentis operatio, qua id, quod ſubiecto conuenit vni, per ſimilitudinem tribuitur alteri, dicitur *ars analogica*. Huic CORNELIVS GEMMA in *Coſmocritica* tantum defert, vt ad eam propemodum omnem ſciendi methodum reducere videatur. Eſt vero hæc ars duplex, *illatiua* & *explicatiua*; *illatiua*, qua per modum argumentationis ex eo, quod tali ſubiecto tale prædicatum conueniat, inferimus, alteri ſubiecto analogice ſimili ſimile prædicatum conuenire: *explicatiua* vero, quæ & *mixta* & *translatoria* dicitur, ea eſt, quando indicamus, quomodo competat alicui ſubiecto notius aliquod prædicatum alterius ſubiecti prædicatique, & illi ſimile analogice in medium proferimus. *Illatiuæ* multum in ſcientiis

deberi, rei litterariæ curioſos fugere non poteſt. Sic e. gr. inter omnes conſtat, prius inuentam fuiſſe *Opticam*, & deinde multis annis poſt, artis analogicæ beneficio, *Acuſticam:* omnia enim principia, definitiones ac propoſitiones opticæ per analogiam felici ſucceſſu ad auditum fuerunt applicatæ. Quantum vero hæc *ars analogica* ſcientiis & artibus humanis tam addiſcendis, quam inueniendis ſeruiat, in præſentia nihil attinet explicatius interpretari. Quodſi vero paullo accuratius philoſophamur, vix quidquam in toto terrarum orbe reperiri iudico, quod non omnibus & ſingulis ſub certa analogia ſeu ſimilitudine reſpondeat, & facile diſpaleſcet, *axioma* PYTHAGORICO-PLATONICVM: *Quidlibet in quolibet*, a veritate non adeo eſſe alienum. Sic deprehendimus in maximis minima, in ſupremis & infimis media, in infimis & mediis autem ſuprema: Paucis: in omnibus omnia: nam quæ ſunt inter ſe ſimilia, omnino habent ſibi ſimilia prædicata, & ita prædicatum vnius per analogiam fit prædicatum alterius, non quidem ſemper illatiue, ſed ſæpe explicatiue, tralatitie ſeu rhetorice, quando vno eodemque vocabulo quædam efferuntur, eam ob cauſſam quod illorum nonnulla prædicata ſint ſimilia. Multa igitur, quæ dicuntur de flore, dicere ſolent de homine, & contra. Eo modo pleræque corporis noſtri ſolidæ partes ab anatomicis analogice denominatæ ſunt, vt muſculi, claviculi, radii, ſinus, & calamus ſcriptorius in capite. Eodem modo etiam nonnulli morbi nomen ſuum acceperunt, v. gr. cephalalgiam hyſtericarum SYDENHAMVS analogice dixit Clauum hyſtericum. Huc pertinet

tinet Cancer, gutta roſacea, vnguis & pannus oculorum. Et proinde, quod proprie dicitur de ZONA, id analogice dici poteſt de morbo, in quem ſub ZONÆ nomine hac diſſertatione inaugurali accuratius inquirere conſtitui. Summo igitur, quod veneror, Numini ſupplico, vt laboribus meis diuino ſuo auxilio adeſſe velit quam benigniſſime.

SECTIO PRIMA.
DE
HERPETE GENERATIM.

§. I.

De ZONA SERPIGINOSA, morbo in praxi clinica rarius occurrente, explicatius in hac diſſertatione acturus, commodum, immo neceſſarium eſſe exiſtimo, vt, quæ ad illius intelligentiam & illuſtrationem generatim pertinent, breuibus præmittantur.

§. II.

Videlicet tam ductu atque auctoritate probatiorum auctorum, quam experientia qualicumque perſpectum habeo, ZONAM pro herpetis ſpecie eſſe habendam: quare prius, quam ad illius pertractationem me accingam, de genere eo modo, vt paullo ante dixi, exponendum erit.

§. III.

Equidem de herpetis etymologia multa in medium non proferam, vtpote quæ inter plurimos conſtat; interim tamen idem, quod de Poëtis alias dicitur, eos ſcilicet & delectare & prodeſſe velle, in re

quoque medica obtinere iudico. Herpes eſt quidem vocabulum origine græcum, & deſcribitur ab Auctore *Etymologici magni*, quod ſit ονομα παθȣς παρα το ερπω ſeu απο τȣ ερπειν κατ᾽ ολȣ τȣ σωματος; i. e. nomen morbi a ſerpendo, quia ſerpat per totum corpus: a Romanis autem, vti quidem ex plurium, in primis medicorum, monumentis diſpaleſcit, in Latium receptum, ciuitateque donatum eſt. Interim nonnulli ſunt, qui per *ignem ſacrum*, & *formicam corroſiuam* herpetem exprimunt. Alii ſubſtituunt *Serpiginis* vocabulum, inter quos præcipue LVCRETIVS nominandus Lib. VI. v. 660. Nonnulli autem id, quod *ſpeciei* competit, nomen, generi imponunt: a SCRIBONIO enim *Zona*, & a PLINIO ζωςηρ herpes adpellatur.

§. IV.

Vt vero penitius perſpiciamus, quid per *herpetem* proprie intelligatur, eum definimus; quod ſit *morbus externus, inflammatorius, periphericus, plus vel minus puſtuloſus, modo in latum, modo cum vlceratione in profundum progrediens, a congeſtione humorum & ſubſequente corruptione, Salino-acri-bilioſa originem ducens.* Germani dicunt: Flechten, Abgang, Zittermåler.

§. V.

Et ſic ex ipſa definitione luculenter adparet, herpetem non ſemper exſiſtere vnum eundemque: datur enim ratione *indolis* iam *benignus*, qui ad vicinia loca quidem ſerpit, in vlcus autem non degenerat; iam *malignus*, *putridus* ſeu *ferus*, qui in latum & profundum ſimul radices agit, & ruptis puſtulis cutem

exul-

exulcerat. *Confer.* ACTVARIVS *Lib. IIdo Meth. med. c. 12. p. m. 80.:* FALLOPIVS *Tractat. de Tumoribus p. n. c. 24. p. m. 733.* FABRICIVS AB AQVAPEND. *Libr. Imo de Tumoribus p. n. c. 12mo :* BLANCARDVS *in Lexico ſuo med. pag. 405. ſub Tit. Herpes :* Illuſtr. PRÆSID. *Chirurg. Tabul. XVI.* Aliis quidem placet, tres huius morbi ſpecies conſtituere. Prima eſt *herpes abſolute dictus* vel *ſimplex*, quando bullulæ fere viſum fugiunt. Altera *miliaris*, quando bullulæ rubicundæ, magis, quam in prima ſpecie, conſpicuæ, in cute obſeruantur. Tertia *exedens*, ἕρπης ἐσθιόμενος, *exulcerans*. Commode autem hæ tres ſpecies redigi poſſunt in duas claſſes, quarum paullo ante mentionem feci, quando *herpes benignus ſimplicem* & *miliarem* ſub ſe comprehendit, *malignus* autem ἐσθιόμενον ſeu *exedentem*.

§. VI.

Supra quidem in genere *herpetis* conſtituendo dictum eſt, illum eſſe morbum inflammatorium, periphericum; ſed inde non ſequitur, vt ſit ipſum *eryſipelas*. Conueniunt inter ſe ratione inflammationis; ſed magnum adhuc inter vtrumque intercedit diſcrimen: nam, quod ipſa loquitur *herpetis* definitio, concurrunt puſtulæ ſeu bullulæ ſero repletæ, hinc inde ſerpentes, quæ ab inflammatione eryſipelacea legitima longe abſunt, & præterea *herpes ſimplex* a commotione febrili immunis manet, & ſolo pruritu incommodus eſſe ſolet. Contra vero *eryſipelas* vt plurimum motus febriles, dolores & ardores habet comites. Porro *eryſipelas*, vt cito fit, cito perit, hoc eſt, intra quatuor vel ſeptem dierum ſpatium aut ſua ſpon-

ſponte, aut congruis remediis ſimul adhibitis, euaneſcit; *herpes* vero haud raro tempus ducere ſolet, id quod a rerum chirurgicarum ſtudioſis porbe obſeruatum eſt.

§. VII.

Quamquam autem præcedente §vo. dixerim, *herpetem* eſſe *ſine febre*; id tamen ita intellectum haud volo, quaſi *herpes* febri non poſſit ſociari: nam huius rei exemplum nuper adhuc habuimus luculentiſſimum in viro, qui febre laborabat catarrhali benigna, cui, interiectis aliquot diebus, in brachio acceſſit *herpes*, in quo autem non latuit cauſſa febris, alias particularis ac puſtuloſus hic morbus præcedere debuiſſet motus illos vniuerſales. Qua occaſione non poſſum, quin in ſolidioris curationis commodum adferam, *herpetem* in hoc exemplo fuiſſe quaſi *non-herpetem*, hoc eſt, ſerpendo neque in latum, neque in profundum ſe diffudiſſe, & contra conſuetam ſuam pertinaciam cum febre euanuiſſe, id quod, niſi me fallant omnia, blandæ diaphoreſi, ſub febre cum euphoria ſuccedenti, omnino adſcribendum eſſe cenſemus.

§. VIII.

Differenti mihi de differentiis, quas *herpes* exhibet, reſtat adhuc, diſcriminis alicuius, quem auctores nonnulli inter *ſerpiginem* & herpetem miliarem ſtatuere ſolent, mentionem facere. *Herpetem* nimirum *miliarem ſerpigini* in eo quidem affinem eſſe dicunt, quod itidem ſuperficialem vlcerationem inuoluat, non ſemper autem *ſerpiginoſam indolem* habeat, neque tam familiariter occurrat, vti *ſerpigo.*

Alii

Alii conſtituunt pro *Serpigine Lichenes*, i. e. *aſperitates quasdam cutis, & veluti tumores, cum pruritu multo, ex quibus materia emanet.* Sed, ſi dicendum, quod res eſt, non exiguam apud plurimos auctores in horum verborum allegatione reperimus confuſionem. *Alter* vocem *ſerpiginis* ponit, *alter* eam reprehendit: *hic* vſurpat vocabulum *lichenum*, ille reiicit, & quando in rationem, & ſigna cuiuscunque vere diagnoſtica, ex quibus tamen genuina differentia elici debet, inquirimus; altum eſt ſilentium. Quia vero grauiora thematis noſtri momenta animo meo ſeſe iam repræſentant; breviter ſic ſtatuo; quod, vti congeneres hi morbi exiguam inter ſe habent differentiam; ita huius differentiæ ἀκρίβεια nullam fere in praxi adferat vtilitatem: methodo enim eadem tractantur.

§. IX.

Delibatis nunc omnibus *differentiarum* momentis, quæ quidem præſentis tractationis ratio poſtulauerat, progredior ad *ſigna diagnoſtica* enumeranda, quibus ſe *herpes* manifeſtat. Igitur ſicut hic morbus inter externos numerandus eſt; ita cum iisdem commune habet, vt in oculos incurrat. *Benignus* ſe manifeſtat tumore magis lato, quam exaltato, rubedine & vredine, in initio maculis rubicundis, in progreſſu vero puſtulis ad magnitudinem præcedentium macularum, modo magnis, modo minoribus; modo latis, modo longis conſitus. Quando hæ puſtulæ limpido humore refertæ, & reſpectu coloris ex albo in flauum tendentes in vna regione

ſiccefcunt, & ſanantur; in vicinis partibus nouæ repullulant, & ita ſerpendo procedunt. Si rumpuntur, effluit materia inter *ſaniem* & *pus* quaſi media. Locus aliquo modo durus & ſubrubicundus exſiſtit, id eſt, miſtum habet colorem, pallorem inter & ruborem, coniuncto magis pruritu & ardore, quam vero dolore. Quæ omnia in *putrido* quoque *herpete* ſeu ἐσθιομένῳ non ſolum deprehenduntur; ſed maligniorem adhuc indolem produnt: nam deterior eſt corruptæ materiæ conſtitutio, non tantum cutim, ſed & muſculos ſubiacentes obſidet, vlcuſcula manantia format, & inde in admittenda curatione pertinacius ſe gerit. Puſtulæ illæ pruritu ſuo moleſtiſſimo frictionem vrgent, qua adhibita, ad maiorem ardorem, humorumque ad fluxum anſa præbetur. Si omnino ruptæ ſunt; pruritus tamen & ardores non tolluntur, ſed potius humor effuſus cum vicinis partibus putridum ſuum ſeminium communicat.

§. X.

Ad *ætiologicam herpetis* conſiderationem nunc accedendum erit, &, ſicut oppoſita, iuxta ſe poſita, magis elucefcunt: ita operæ pretium exiſtimo, aliorum de morbi huius indole & origine opiniones præmittere. Mirum quidem in modum plurimorum auctorum ſententiæ hic diſcrepant; in eo tamen plerique conueniunt, genuinam cauſſam magis in deprauata, acri, ſcorbutica qualitate; quam in humorum abundantia conſiſtere, ſibi perſuadeant. Primus vero in ſcenam prodeat GOCKELIVS *in*

Galli-

Gallicinio ſuo practico Conſil. medic. Cent. II. conſilio „*XLVI.* cauſſa, inquit, eſt bilis præternaturalis re-„dundantia, quæ interdum fit a cauſſis externis, quæ „poſſunt calefacere humores, corpus & viſcera, in-„terdum etiam ex iecoris intemperie calida profi-„ciſcitur.„ Nec non *obſeruat. medic. Dec. III. ob-ſerv. I.* cauſſam mali portiones ſanguinis ichoroſas, acri-ſalinas, lixiuioſas & ſcorbuticas eſſe ſtatuit. Huic adiungimus TVLPIVM *in obſerv. med. Libr. III. cap. XLIV*, qui curationem ſequentibus comprehendit indicationibus: videlicet commendat intemperiem corrigendam, bilem leniter expellendam, corroborandum, tetros vapores infringendos. κ. τ. λ. Sed quis hic non videt Plethoram, ceu principem huius morbi cauſſam, eſſe prætermiſſam. Sane enim tam ſubiectorum ipſi expoſitorum conſideratio, quam felix eiusdem curatio, genuinæ cauſſæ ſuperſtructa, optime id confirmant. Et licet auctores iſti potiſſimum qualitates noxias accuſent; attamen exempla, quæ in ſcriptis eorum offendimus, de plethora ſatis teſtantur. Sic BININGERVS *obſerv. Cent. II. obſerv. XXXII.* refert, feminam, quæ *herpete* laborauerit, per annum fere fuiſſe hyſtericam. Quem autem fugit, hoc malum a retento ſanguine tantum non ſemper eſſe deriuandum. *M. N. C. Dec. I. anni VIti obſerv. LI.* de nobili ſene, herpete correpto, & GOCKELIVS de puerpera prænobili ſcribit, quod ex ſuppreſſis lochiis herpetem acceperit. PLATERVS *obſerv. Libr. II. pag. 509.* mulierem allegat quinquagenariam, quæ in fine menſium *herpete* adflicta fuerit. TVLPIVS *obſerv. Libr. III. cap.*

XLIIII. virum pleni habitus eodem malo laborantem producit. Ex quibus omnibus eluceſcit, auctores iſtos in eo maxime erraſſe, quod ratione pathologiæ abundantiam humorum plane præteruidentes, in qualitate ſola acquieuerint. Equidem vitioſas humorum qualitates prorſus non negamus, minime autem pro principe mali cauſſa, ſed potius pro illius effectu agnoſcimus. Felicior in indagando mali huius fonte fuiſſe videtur WEDELIVS, quippe qui in diſſert. de *herpete Cap. III.* ſub cauſſis ita ſcribit: „Tacemus retenta non vna, ſiue menſium fluxus ordinarii; ſiue hæmorrhoidum, & tranſpirationis proportionatæ, immo & venæ ſectionis indicatæ, ſed intermiſſæ, ſiue excreta ſudoris immodice effuſi. Singula enim hæc & ſuo loco, vt eryſipelas, & inflammationes alias, ita, pro re nata, & „*herpetem* accerſere ac inuitare norunt.„ Sic iudicat WEDELIVS, qui, licet hunc morbum a prauis humorum qualitatibus itidem deduxerit, quantitatem tamen non præteruidit.

§. XI.

Vt autem explicatius pateat, quo ſententia noſtra in *fundamento herpetis ætiologico* ponendo abeat, experientia duce ſtatuimus, hunc morbum natales ſuos *potiſſimum* debere *abundantiæ humorum* quocunque modo collectæ: cui niſi quotidie ordine & lege naturæ detrahitur, læditur proportio motus ad humores circumuehendos, & humorum verſa vice ad motus, id quod palmarium fundamentum fit *ſpiſſitudinis*, & *cacochymiæ*. Sic enim impuritates ſufficien-

ficienter non poſſunt ſequeſtrari & excerni. In ſpecie *ſerum mucidum* in conſortio particularum ſalino-bilioſarum retentum inſpiſſat *lympham*, vnde, reliquam ſanguinis maſſam intrando, hanc conſpurcat, & ſic varii generis *exanthematibus* anſa praebetur. Haec *exanthemata* differunt, non excluſa partium ſolidarum differentia, ratione *qualitatum*, quae cum humoribus, & in iisdem circumuehuntur. Notum enim eſt, quod praecipuae impuritatum ſpecies, quae in microcoſmo generantur, ſint vel *bilioſae*, vel *ſeroſae*, vel *ſalinae*, vel denique *mucoſae*. Contingente itaque quadam ſtagnatione humorum, diſcuſſioni haud auſcultante, talis producitur corruptio, quae huic vel illi impuritatum ſpeciei, prae aliis abundanti, & plerumque cum alia quadam coniunctae conſentiens eſt. Sic e. gr. in ſcabie particulae lymphatico-ſeroſae, in *herpete* vero praecipue ſalinae & bilioſae peccare videntur. Plura hac de re qui deſiderat, adeat Illuſtr. PRAESID. *Chirurg. Tab. I. pag. 3.*

SECTIO SECVNDA.
DE
ZONA SPECIATIM.

§. I.

Progredior nunc a *generalioribus* ad *ſpecialiora*, nimirum ad ZONAM. Eſt vero ZONA vox origine graeca, ciuitate tamen latina iam dudum donata. Deſcendit a verbo ζωννύω ſeu ζώννυμι, quod ſignificat

gnificat *cingere* ſeu *ambire*, & proinde facile diſpaleſcit, hunc morbum, vti genus ipſum, *analogice* dictum eſſe ZONAM ſeu ζωστηρα, de quo autem fuſius in Procemio iam egimus. Itaque ZONA eſt herpetis ſpecies, cuius inflammatio puſtuloſa, & palmam circiter lata, in regione epigaſtrica circulum quaſi format, & ſic abdomen vel totum, vel quoad partem cingit.

§. II.

ZONAM vero morbum eſſe *rariorem*, & non promiſcue in praxi clinica occurrentem, res eſt, de qua auctorum obſeruationes fidem faciunt certiſſimam: nam ex veteribus præter SCRIBONIVM, APVLEIVM, MARCELLVM & PLINIVM nemo eius meminit. Quare MARCVS AVRELIVS SEVERINVS *Libr. de recondita abceſſuum natura* ita ſcribit: „Zonam quidem ad hoc tempus nemo tra„didit a ſe obſeruatam, vsque adeo, vt veram eius„dem formam ipſe, qui vidiſſet, teſtificari ceteris „poſſet. SIMON SCHVLZIVS in *M. N. C. Dec. I. anno I. obſerv. 4.* ingenue fatetur, ſibi, in Praxi medica, ſpatio viginti annorum continue occupato, eryſipelas vulgare ſæpiſſime, iſtius autem generis, quod ex auctoribus fide dignis ibi deſcribſit, ZONAE nimirum, tantum bis curandum obtigiſſe. Itemque LENTILIVS in nota ad SCHVLZII obſeruationem ſupra allegatam confirmat, ſe in praxi ſua obſeruaſſe non niſi vnum exemplum ZONAE in matrona vltra quam ſexagenaria, ſingulis fere menſibus recurrentis. Notari adhuc meretur BINNINGERVS

GERVS *in obſerv. Cent. II. obſerv. XXIII.* Immo ſunt, qui per totam ſuam praxin hoc *herpetis* genus numquam viderunt.

§. III.

Quam ob cauſſam eo magis a me requiri videtur, vt, quid proprie ſit ZONA ſerpiginoſa vlterius deſcribam. Sed ob tractationem, Sectione priori præmiſſam, & definitionem, §. I. huius Sectionis traditam, paucis me hic expedire poſſum. ZONA, medico ſenſu accepta, inter herpetem benignum & ἐσθιόμενον quaſi media eſt, & in regione abdominis epigaſtrica vsque ad vertebras dorſi, modo alterutrum, modo vtrumque latus determinate ambit. Belgæ ſatis commode hunc ambitum exprimere videntur, quando illum vocant *den rooden ommeloop.* BRECHTFELDIVS *in* A. H. *Vol. I. obſerv. CVIII.* in vidua quadam obſeruauit ZONAM tamquam tumorem eryſipelatoſum, inferiorem ventrem tam accurate circumdantem, vt cingulum fuſcum palmam latam ad amuſſim referret. A TVLPIO in *obſerv. Lib. III. cap. XLIV.* ZONA vocatur *exedens præcordiorum herpes.*

§. IV.

Sed non ſine ratione modo dictum eſt, ZONAM dictam regionem *determinate* cingere, quia alias non appareret, cur *herpes*, hinc inde in toto corpore, hanc, vel illam partem cingens, non itidem dicatur ZONA, & proinde ſtatim cognoſcitur, eryſipelas a LANGIO *Lib. I. Epiſt. XXXII. pag. 135.* non

non eſſe genuinum ζωςῆρα, eo, quod hominem a lumbis, vmbilico & teſticulis vsque ad genua cingat, ſepiat & circumdet, quale quid de cingulo, vtcunque latiſſimo, nemo facile prædicauerit. Huc quoque SENNERTVM, virum ceteroquin accuratiſſimum, referre poſſumus, qui, ζωςῆρα a cruribus vsque ad lumbos ſerpere, ait: nam alioquin obſcurum eſſet, cur non æque ζωςὴρ dici meretur *herpes* e. gr. totum crus occupans, curque non æque ſcabies vniuerſalis, aut lepra hoc nomine venirent, quia totum corpus ambiunt. Vnde Zonæ limites omnino figendi ſunt, & iſtud nomen ſtrictiore ſenſu interpretandum eſt; id quod LENTILIVS laudata obſeruatione optime monuit.

§. V.

Ad *cauſſas* ZONÆ producendæ *generaliores* quod attinet; non arbitror, fuſius me debere in eas inquirere, quia Sectione I. de *herpete generatim* ſatis iam de illis dictum eſt: ergo ad *ſpecialiorem* me conuerto.

§. VI.

Quemadmodum autem rariorem hunc morbum eſſe, ex Medicorum obſeruationibus ſupra dictum: ſic multo rarior ipſius eſt genuina ætiologia: conſideratione enim digniſſimum eſt, quod regionem tantum epigaſtricam cingulo ſuo ambiat; de qua ſingulari conditione mentem meam ea, qua decet, modeſtia ac diſcretione exponam. Ter omnino factum eſt, vt hunc morbum in praxi Illuſtr. PRÆSID. viderim,

viderim, atque in quolibet ſubiecto obſeruauerim, quod ZONAM præceſſerit *pathema animi iracundum.* Igitur cum in aliorum ſcriptis, qui de Zona commentati ſunt, nihil de hac iracundiæ prægreſſæ cauſſa reperire potuerim, tum in præſenti tractatione eo adnitar, vt cinguli morboſi, & animi iracunde commoti nexum, quantum vires concedent, demonſtrem.

§. VII.

Prius vero, quam huic rei me accingam, operæ pretium eſſe iudico, de exemplis iſtis, quæ mihi occurrerunt, aliquam iniicere mentionem.

§. VIII.

Primum igitur *locum* occupet Pharmaciæ quidam ſtudioſus, annor. XXXII, inſigniter plethoricus, cuius ipſius verba, qui corporis ſui obſeruator fuit adcuratiſſimus, hic adponam: „Prægreſſam, ſcribit, animi commotionem proximo die ſequebantur „membrorum laſſitudo, adpetitus defectus, & temulenta capitis adflictio. Secundo vel tertio circiter die mane in abdomine ad vmbilicum dextri „lateris dolorem mediocrem ſenſi, cumque locum „adfectum inſpicerem, apparebant in eo duæ vel „tres exiguæ, aqua repletæ puſtulæ, quæ proxime „ad ſimilitudinem earum accedebant, quales tempore æſtiuo vrtica vrens infligere ſolet, & cutis „dextri lateris inde ab vmbilico ad vertebras vsque, „quantum quidem oculis percipere poteram, ad pal-

„mæ latitudinem erat inflammata, attamen non o-
„mnis; ſiquidem hinc inde eadem adhuc erat in ſta-
„tu naturali, ceu fit, quando variolæ in facie copi-
„oſe provenire ſolent, & hæc inflammatio non ſine
„intimo doloris ſenſu manibus a me contrectari po-
„terat: Proximo die plures puſtulæ, prioribus non
„abſimiles, conſpiciebantur; inflammatione haud
„mutata. Tempore veſpertino adficiebar eiusmodi
„dolore in loco adfecto, vt neque incedere, neque
„ſtare, neque ſedere, neque etiam commode decum-
„bere poſſem, & licet vltimum elegerim; tamen to-
„ta nocte præ dolore acutiſſimo ſomnum non vidi,
„& die inſequenti puſtularum numero aucto, dolor
„etiam atque etiam ingraueſcebat. Poſtea vero lo-
„cus inflammatus ſenſim intumeſcebat, & variæ ma-
„gnitudinis veſiculæ ſero turgidæ & pellucidæ orie-
„bantur, illis ſimiles, quas humida ambuſtio effice-
„re ſolet, quibus doloris vehementia mirum in mo-
„dum diminuta fuit. Veſiculæ autem iſtæ initium
„ſuum ſumſerunt in latere ſiniſtro digitum latum an-
„te umbilicum, &, totum latus dextrum ſerpendo,
„vlterius perrexerunt trans vertebras in latus ſini-
„ſtrum. Tribus diebus prioribus acutiſſimum infe-
„rebant dolorem, poſtea vero ſine eodem pro lubitu
„manibus tangi poterant. Poſtea, quinque vel ſex
„dierum ſpatio interiecto, ſponte hinc inde aperie-
„bantur, & liquor limpidus, ex iisdem profluens,
„lintea brunno colore inficiebat, iisque eiusmodi
„rigidam conſiſtentiam inducebat, ac ſi bitumine
„ſcriniariorum eſſent illita. Hic effluxus vero, quem
„quo-

„quotidiana corporis exercitatione promouebam, ad „quatuor vel quinque dies durauit, quo facto, pu„ſtulæ exſiccatæ ſunt, ita tamen, vt eo loco, quem „occupauerant, cutis fieret ſeparatio, quemadmo„dum poſt variolas euenire ſolet. Notare adhuc liceat, aluum in primis morbi diebus fuiſſe clauſam. *Alterum exemplum*, quod adponam, fuit cuiusdam piſtoris, qui aliquoties hac Zona cingebatur, & quidem ſemper poſt inſignem, eamque iracundam animi commotionem. Sub initium motus febriles conſpirabant; cum vero circa ſeptimum diem puſtulæ inflammatoriæ rumperentur, pulſus tranquillior obſeruabatur, & puſtularum quidem nonnullæ ſponte exſiccabantur, nonnullæ autem profundius rodendo chirurgiam medicam poſtulabant.

§. IX.

Ex quibus exemplis & facti veritatibus omnino colligere licet, maximum ætiologiæ momentum in *adfluxu humorum congeſtorio*, ad hepar & coniunctas partes directo, eſſe ponendum. Inter medicos enim conſtat, quod commotionem animi vt plurimum excipiant auctiores motus corporis, & quando in hoſtes externos indignationem ſuam exſerere non poſſunt, internos adoriuntur, e. gr. in calculoſis calculus ad inſignes cruciatus commouetur, in phthiſicis pectus adfligitur. Quando autem hoſtis præternaturalis non eſt, ex naturalibus iſte infeſtatnr, qui omnium eſt infenſiſſimus. BILEM puto, cuius poſt

iracundiam frequens effuſio per vulgus notiſſima eſt. Cum hoc biliosæ excuſſionis actu coniuncta ſunt varia *conſectaria*, præcipue autem hepatis tonicæ conſtrictiones: vnde humorum ſtagnationes, debitarumque ſe- & excretionum ſufflaminationes, immo nonnumquam veræ ſtaſes ſeu obſtructiones oriuntur. Quæ vti ingens periculum minantur; ita ad illud avertendum motus inflammatorii iam ſimplices iam febriles excitantur: quibus efficitur, vt humores in ſtaſin deducti vel omnes feliciter reſoluantur & diſcutiantur, vel pars quædam illorum in illius regionis peripheriam deponatur. Ad eiusmodi congeſtionem copioſam ſuam quoque ſymbolam conferunt partes in hepate ſenſibiles, nempe capſula Gliſſoniana, nerui percurrentes, & ligamentum eiusdem ſuſpenſorium, quarum ſpasmodica adfectio non poteſt non humorum copioſum adfluxum ſollicitare, eximiamque in ea regione inflammationem producere, quarum aliquando effectus eſt, vt, ſicut antea dictum, nonnulli peccantium humorum in peripheriam κατ' αποςασιν, & quaſi critice expellantur, ibique puſtuloſum iſtud & inflammatorium cingulum repræſentent.

§. X.

Sicut autem congeſtio hæc inflammatoria in hac regione per partium ſenſibilium conditiones facilius inuitatur; ſic præcipue pertinacius ſe gerit, quando in eadem læſio quædam alia præexiſtit; id quod vel in venæ portæ humoribus ſpiſſis, vel in

partibus

partibus ſolidis, vel in vtrisque ſimul ponendum eſt. Quod aſſertum hypochondriaci optime confirmant.

§. XI.

Sic ZONÆ ſeu Cinguli rationem ex cauſſis ab internis partibus ad externas agentibus, & ibidem deponentibus deriuandam eſſe iudico, & hanc ætiologiam firmius fundamentum habere arbitror, quam ſi a cauſſis externis cingulum iſtum formare cupiamus. Cuius ætiologiæ ſpecimen legimus in ROSINI LENTILII *Paralelismo ad obſervationem* SIMONIS SCHVLZII ſupra allegatam: arbitramur, „inquit, ſi quid coniiciendum, ZONAM potiſſimum „ob cauſſam ζωϛηρα nonnumquam in his, qui ad „eryſipelas inclinant, oriri, quod ob præcincturam, „cum primis arctiorem, capillaria vaſa ibidem com„preſſa ſanguini ſulphureo & bilioſo in venulas trans„mittendo non ſufficiant, vnde inflammatio & ζωϛηρ, „adeo decantatus, tametſi rarus adfectus. Verum enim vero hæc coniectura & rationi & experientiæ refragatur. Sanguis enim ſulphureus & bilioſus eſt tenuior, quam mucido-terreſtris, ideoque in venulas facilius reſorbetur; de exemplis autem allatis aſſerere poſſum, quod abdomen ſuum munire numquam conſueuerint. Si vero huic coniecturæ omnino aliquid dandum, in ſubiectis huic cingulo adſuetis nonniſi pro occaſionali & remotiori cauſſa declaranda eſſet.

§. XII.

Ne vero in hac ſectione *prognoſeos* rationem prætermittam, pauca de ea adnectere placet. Ab antiquiſſimis quidem temporibus creditum fuit, quod hoc malum, ſi cinxerit, hominem occideret. Sic PLINIVS *Libr. XXVI. cap.* XI dicit: ignis ſacri plu„ra ſunt genera, inter quæ medium hominem am„biens ZOSTER appellatur, & enecat, ſi cinxerit. Quam irritam & male fundatam adſertionem per penuriam plurium obſervationum excuſandam eſſe cenſeo. Ceterum cum TVLPIO ſentio, hunc circulum morboſum admodum raro eſſe abſolutum: nam quoties illum videre mihi contigit, inæqualiter diſperſum neminique exitialem ſemper deprehendi.

SECTIO TERTIA
DE
SOLVTIONE ZONÆ.

§. I.

ZONAM *ſoluere*, quid apud antiquos proprie ſignificet, ſcholis notiſſimum eſt: hunc vero ſignificatum hic a me alienum eſſe, quilibet facile perſpiciet, qui conſiderat, quod de Zona morboſa hoc loco agatur. Videlicet per ZONÆ *ſolutionem* intelligimus huius morbi dextram curationem.

§. II.

Paucis me hic expedire poſſum, quia magno regula-

regularum therapeuticarum & medicamentorum adparatu opus eſſe non exiſtimo. Omnia enim, quæ hic peragenda ſunt, eo redeunt, *vt præternaturalem hepatis affectionem tollamus, & congeſtionis diſcuſſionem, quantum fieri poteſt, ſollicite reſpiciamus.* Quem in finem talia remedia, quæ vtrique indicationi adprime inſeruiunt, commendo: nimirum ſequens *infuſum* bis quotidie cum leni regimine ſumendum: Recip. Rad. pimp. alb. vincetox. cichor. ana vnc. ſemis Herb. ſcord. veronic. teucrii-fol. ana Manip. 2. Flor. galeopſ. calendul. ana pug. 2. Cortic. aurantior. cinnamom. ana drach. 2. C. M. D. Ter vero quaterue per diem puluis quidam corrigens ac diſcutiens ad ſcrup. 1. adhiberi poteſt e. gr. Recip. Antimon. diaphor. matr. perlar. conch. citr. nitr. depur. ana drachm. 1. M. div. in 12 part. æqual. Ad variationem addi poſſunt huic pulueri *aquæ deſtillatæ*, e. gr. Aqua ſcord. Card. mar. galeg. cet. ita, vt *Potio* emergat. *Aluus* aperta ſeruetur ſiue per clyſteres emollientes ſiue per Pilul. STAHLII aut aliorum ad mentem ipſius correctas, ſiue per ſalia mineralia ſatis nota. Ruptis puſtulis *externe* ſi quid ſuadendum, optime conducit oleum philoſophor. cum oleo ouorum vel myrrhæ per deliquium remixtum, quorum alterum impuritates aufert, alterum vero ardorem demulcet, & conſolidationem promouet. Præterea lintea ſicca ſollicite ſæpius loco affecto imponantur, ne humor, puſtulis apertis, in viciniam ſerpendo diffluat.

§. III.

§. III.

Vt etiam de *præſeruatione* aliquid addam, animi commotiones quouis modo fugiantur, & corpus ab humorum nimia abundantia, quæ impuritates varii generis producit, omni cura defendatur per Venæ ſectiones trimeſtres, easque ſufficientes, &, quod multorum & magnorum morborum optimum remedium eſt, per exſpirationis SANCTORIANÆ promotionem & conſeruationem.

TANTVM.